



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

§. I. Causalitas causæ efficientis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

CAPUT II.

De causa efficiente.

DAri causam efficientem non solum increatam, sed etiam creatam, satis patet ex Contempl. 2. ubi ostendimus agentia creata revera aliquid de novo producere. Et ratio à priori est, quia potentia physice operandi perfectio est primi Entis non minus participabilis à creatura, quam ipsum esse; cum ergo hoc tribuerit DEUS, potuit & illam tribuere. Et certè, qui tollit in viventibus facultatem immanenter operandi, tollit ipsa viventia. Nec obstat, quòd Apost. dicat 1. ad Corinth. Deum omnia operari in omnibus; operatur equidem omnia, sed non semper solus. Causa autem efficiens dici potest, principium à quo physice aliud accipit esse.

§. I.

Causalitas causæ efficientis.

CAusalitas causæ efficientis in actu primo est ipsa virtus agendi causæ intrinseca, quæ consistit partim in præcontinentia perfectionum ipsius effectus producendi, partim in fecunditate ipsius causæ respectu talis effectus. Præcontinentia autem una est formalis, quando causa easdem specie perfectiones habet, quas communicat effectui, ut cum Leo producit Leonem; alia eminentialis, cum causa tales perfectiones non habet easdem specie, sed in æquivalenti aut eminentiori gradu, uti est Deus respectu mundi. Quòd autem alterutra hæc præcontinentia requiratur, videtur ex intellectus nostri dictamine nobis à natura congenitum, quo solemus ex perfectione effectus æstimare perfectionem causæ; hinc nemo est tam stupidus, ut ait Scotus, qui iudicet, hanc rerum universitatem potuisse produci à musca. Et ratio est, quia sicut id, quod nullum habet esse, non potest illud alteri communicare, ita etiam id, quod non habet esse perfectum, seu perfectionem effectus, non potest hanc alteri communicare; hinc natum est illud axioma: nemo dat, quod non habet. Ad hanc virtutem requiritur præterea fecunditas, vi cuius possit effectui communicare suas perfectiones; hinc licet Angelus contineat perfectiones alterius, defectu tamen fecunditatis, non potest alterum Angelum producere, uti nec anima rationalis aliam.

Causalitas causæ efficientis in actu 2. est ipsum actuale exercitium, via, & physicus influxus, quo mediante causa communicat existentiam effectui, & dicitur actio; sique effectus sit indifferens, ut ab hac vel alia causa procedat, entitas modalis creditur, distincta à causa & effectui, ob easdem rationes, quas de unione attulimus. Si verò effectus non sit ita indifferens, uti communiter censentur esse actus vitales, v. g. intellectiones, volitiones, quæ videntur ab alia voluntate vel intellectu, quam ab eo, à quo procedunt, oriri non posse, nec etiam à Deo solo posse produci; tunc non opus est actione distincta, sed ipse effectus cum actione identificatur, quia nulla est distinctionis necessitas.